





8529 1771,8
DISSERTATIO I.
DE SVCCESIONE PACTITIA

AD
DECISION. ELECTORAL. XIII.

DE ANNO 1746.

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
P R A E S I D E
D. HENR. GODOFREDO BAVERO

PANDECT. ANTECESS. P. O. RELL.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XIII. APRIL. A. C. CIOIDCCLXXI.

DEFENDET

AVGVSTVS HENRICVS KRIEGER

TORGAVIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

DISSERTATIO
DE SUCCESSIONE RACITIA
IN
DECISIONE ELECTORALI XIII

ANNO
D. HENR. GODFRID. HAVEN
IN ACADEMIA ELECTORALI
AUCTORITATE RACITIA
P. H. A. S. T. D. F.



Q D. B. V.
DE SVCCESIONE PACTITIA
COMMENTATIO I.
AD DECISION. NOVISS. XIII.

§. I.

Decantatum est, hereditatis quaerendae modum pacta ^{Hereditas iure Romano pactis non transfertur.} Romanis non fuisse. Ad quam rem probandam, mis-
sis aliis argumentis, quae a SCHILTERO, LEYSERO, aliisque interpretibus satis copiose exposita quisque legere potest, sufficiat, prouocasse ad *l. 15. C. d. Pact.* et *l. 5. C. d. Pact. conuent.* Neque disquisitio, an secus de ea re Germania quondam statuerit, multo praestantior afferre potest utilitatem, dum norunt omnes, pacta successoria ex moribus maiorum ad nos peruenisse. Quippe testamenta Germanis, quibus ixt. illud in *L. Ripuarior. Tit. 59. §. 1. Si emtor testamentum venditionis accipere noluerit*, scripturam denotant, propterea exaratam, vt de veritate alicuius negotii testaretur, quoad notionem in iure ciuili cooptatam diu omnino ignota, impedimentum esse non poterant, quominus super successione mortui pactiones inirentur. Et quanquam seruando, et in posteros producendo familiarum splendori successio legitima filiis praesertim fauorabilis, *L. Sax. Tit. VII. 1.* primum omnino locum habuerit, certe, in euentum prolis aliquando defecturae, cum aliis super hereditate aliusue generis successione quandoque conuenire placuit. Prouti pactum confraternitatis, ganerbinatus, et, quantum ad beneficia, siue feoda, communis Saxonum manus, abunde confirmant.

§. II.

Testamenta, cum iure Romano in Germaniam translata, pactiones hereditarias non tantum non profligarunt, vt ^{Credibile est, pacta successoria post intro-} potius



*dactionem in-
vis Romani
frequentiora
in Germania
facta fuisse.*

potius auxerint, ac dilatauerint. Quippe natura hominum, libertatis appetentissima, facultatem, de suis liberius statuendi, lubenter amplexa, retinuit modum antehac sibi cognitum, scitis romanae iurisprudentiae respondeat, an minus, parum curiosa, eodemque, propter domini ambitum iam latius patientem, etiam saepius et audacior vii coepit. Quod, postquam euicit eorum sententia, qui boni et aequi artem a Romanis acceptam non abrogandi, sed augendi et adiuuandi pristini iuris causa, recte censent, Germanos fuisse amplexos, nemini videbitur alienum.

§. III.

*De eadem re
pressus, et
quomodo olim
successio legi-
tima pactis
successoriis
obstiterit.*

Iam nec opus est, nec permittit ratio nostri instituti, prolixiores esse in re satis nota dilucidius illustranda. Sciunt omnes, pacta inter augustas et illustres domos in Imperio nostro, vel in fraudem clientelarium legum, inita, quibus demum ex Imperatorum accedente in Capitalationibus confirmatione data est perpetuitas. Et qui de hoc inter ciues more dubitauerit, eum a LEYSERO in *Meditatt. ad Pandect. Specim. XLIII. sqq.* tradita meliora doceant. Vt vero paucis, de ea re quid mihi videatur, eloquar, existimo, ab initio, quod illud TACITI d. *M. G. Cap. 22. heredes tamen, successoresque sui cuique liberi, nullum testamentum, mihi innuit, (nec enim reor, hereditarias pactiones, si quas animaduertisset, omisurum fuisse,)* omnes omnino, praeter legitimas, ignorasse mortis causa successiones, nec posse tempus, quo coeperint pacifici super hereditate, certe constitui. Vt vel restrictam super bonis suis disponendi facultatem *Lex Saxonum* consuetudinum, quae a maioribus acceperant, ceteris tenaciorum, *Tit. XV. §. 2. vbi: nulli liceat, traditionem hereditatis suae facere, praeter ad Ecclesiam, vel Regi, vt heredem suum exheredem faciat,* abunde doceat.

§. IV.



§. IV.

Praefertim in liberos, praecipue masculos, propensiore Romanis videntur voluntate fuisse, eisque non partem, sed integram parentum hereditatem, quasi debitam adscripsisse, quo pertinet *L. Sax. Tit. VII. 1.* vbi LINDENBROGIVS non *relinquit*, sed *relinquant*, legendum esse, vt puto, recte indicat, *L. Burgundion. Tit. LXXVIII.* Idemque clarius expressum in *LL. Wisigothor. L. IV. Tit. II. l. 20.* et *Ripuarior. Tit. 48.* occurrit, si diserte quidem vetant, res suas in fraudem liberorum, nepotum pronepotumue in extraneos transmittere. Erant praeterea bona maximam partem fundi a maioribus in posteros deuoluti, quorum alienandorum sine heredum assensu veniam non fuisse, ex *art. LII. L. 1. Iur. Prouinc. Sax.* scimus. Adeoque arbitror, morem, super hereditate patriciendi, quem non ignorasse Germanos, praeter ea, quae attuli, *L. Sal. Tit. XLIX.* demonstrat, add. BOEHMER *Dissert. d. Fundam. pact. famil. ad fideic. inclinant.* fuisse rariorem, factumque frequentiore, ex quo alia legitimae successionis ratio ex Romana iurisprudentia innotuerit. Habetque speciem veritatis insignem sententia IOH. VLR. CRAMERI qui in *Opusc. T. I. Cap. I. §. 13 sqq.* existimat, inter Germanos, feruando familiae splendori studiosissimos, adeoque aegre ferentes, successionem filiabus cum filiis eandem tribui, quam plurimas ex eo tempore prodiisse conuentiones cum filiabus initas, quibus haec a successione in bona parentum fratrum fauore se abdicauerint.

Idem argumentum.

§. V.

Id enim praxis, ipsaeque recentiores leges, ex quibus *Constitution. El. XII. P. II.* nominasse sufficiat, abunde comprobant, prae istis commodis, quibus antiquitas liberorum utilitati prospexerat, magis placuisse nostris Legislatoribus legitimum Romanorum, quippe nostrae reipublicae, quae in pecunia numerata lubentius, quam longo terrarum tractu sibi

Ius Romanum dominis deat liberius super rebus suis arbitrium.



opes constituit, et maximam partem, propter burgenfium copiam, constituere debet, magis accommodatam. Caeterum lege scripta, quae cum altero super successione bonorum post mortem conuenire diferte permetteret, et eiusmodi conuentionis effectus definiret, si, quae praecipit circa renunciationem in hereditatem patris a filia factam *Constit. XXXV. P. II.* exceperis, vsque dum promulgata fuerit nostra Decisio, carere oportuit. Quae sane lex, quod rem antea non omnino expeditam in clarissima luce constituit, insigni utilitate, perspicuitate, et amica cum ceteris iuris articulis cognitione egregie splendet.

§. VI.

Contenta nostrae Decisionis recensentur.

Quippe primo cauet, ne is, qui instrumento dotali, per modum pacti concepto, cum coniuge, vel, qui cum alio super hereditate sua pactus fuerit, testamento vel mortis causa donatione quicquam committat, quod aduersetur factae promissioni, et eiusmodi mortis causa dispositiones nullas esse iubet. Deinde constituit, neque oppignorationes, neque alienationes inter viuos, fidem alteri datam violare, vt potius facta promissio, etiamsi non vis promissi, sed solus exitus in mortis euentum fuerit collatus, de bonis post mortem superstitibus intelligi debeat, exceptis tantum fundis, atque nominibus, quorum intuitu a facultate oppignorandi et alienandi promissor se abdicauerit, pactumque, quoad fundos, a iudice rei sitae confirmandum, et eius sententiam in libro, qui oppignorationum iudiciali consensu munitarum seruandae memoriae causa in iudicio habetur, (*Consens - Buch*) notandam, quod vero ad nomina attinet, debitorem promissi stipulatori facti per iudicem certiore fieri curauerit.

§. VII.

Placita coniugum per modum testamenti condita recte dici posse.

Offendit interpretes dictio pacti dotalis per modum testamenti concepti. Equidem largior, appellationem hanc propter contradictionem, quam inuoluit, quippe testamentum



rum pactum simul esse nequit, probari omnino non posse. Res ipsa vero, quantum intelligo, eandem non meretur censuram. Modo negotio *Ehestiftung* magis idoneam, id est, magis amplam, appellationem decernamus. Scilicet, etsi concedam, Germanis, quae de dote in Iure Romano legimus, maximam partem placuisse, certe in successione post mortem insignis differentia subest. Testaturque experientia, suffragante generali dictione *Ehestiftung*, id potius agere solere coniuges, ut vicissim vitae superstitius post mortem alterutrius commodius transigendae prospiciant, quam, ut in sola dote haereant. Inde enim est, ut *Ehestiftungen* et pacta successoria in legibus nostris coniungi videas. Igitur, si, prout res postulat, mores Germanorum a praeceptis Iuris Romani curate distinguimus, et nostrum negotium *Ehestiftung* cautionem, dotis nomine, vel alimentorum, vel successione, post mortem alterutrius coniugis superstiti praesertim dicimus, parum offensionis, ut existimo, supererit.

§. VIII.

Etenim quanquam Romani super iis, quae circa dotem, vel propter nuptias donationem, acquirendas restituendasue, earum fructus, periculum, vel alia eius generis, placuerant, pacisci, non cautionem, per heredis institutionem ab altero sibi praesertim, habere idoneam, solebant, adeoque satis apte eiusmodi negotia pacta dotalia inter eos dicebantur; quam praeterea concedo, heredis institutionem, quod reuocari pro lubitu potest, veram non esse cautionem; usum tamen venit, ut germani, in seruanda fide alteri data ceteris gentibus nobiliores, testamento sui gratia ab altero coniuge condito sibi satis cautum saepius arbitrarentur, pleniorque ex pacto securitatem quaerere superfederent.

*Recensentur
argumenta
obstantia.*

§. IX.

Quam quum Principes et ICri consuetudinem intelligerent, quum viderent, eiusdem finis obtinendi causa a coniugibus

Et refelluntur.



gibus testamenta quandoque vel cœdicillos condi, quem pactio-
nibus quaerere oportuisset, non abs re erat, generatim appellatio-
ne *Ehesiftung* hæc simul mortis causa dispositiones completi.
Quod, ut factum in *Constit. El. XLIII. P. II.* conspicimus, no-
stra Decisio admittit, dum nominat *Ehesiftungen*, *so in vim pacti*
errichtet worden, eoque ipso tacite aliud genus, quod mortis cau-
sa dispositionem redoleat, simul innuit. Quæ quanquam ita
sunt, impedire non debent, quo minus reciproca etiam coniu-
gum testamenta licite reuocari, et contraria testamenti factio-
ne tolli, ob rei subiectæ essentiam, quæ ultimam voluntatem sup-
ponit, existimemus.

§. X.

*Nemini, nisi
acceptanti,
per pactum
successio quæ-
ri potest.*

Ea solum ad nos coniugum placita pertinere, patet, quæ
pactum successorium inuoluunt, ac nemini dubium, ut opinor,
suboriatur, quin verba, *sich verbunden*, præter promissionem, al-
terius acceptationem inuoluant. Etenim quamuis nemo facile
existimandus sit, propriam utilitatem aspernari voluisse, sufficit,
pacti notionem utriusque consensum verbis expressum, factis-
ue significatum, exigere. Nouimusque explosam eorum sen-
tentiam, qui donationem sine acceptatione donatarii perfectam
esse putant, v. MENCKEN, *ad Pandect. L. XXXIX. §. 5.* ut potius,
quia nemo sibi ipsi legem, a qua recedere non liceat, dicere ne-
quit, ex acceptatione demum promissioni accedente obligatio
promissoris promanet. Atque adeo, quoniam hodie communia
verba directis circa heredis institutionem æquipollent, *Const.*
Elect. IX. P. III. eiusmodi dispositio fortassis in vim ultimæ vo-
luntatis sustinenda esse, modo salua sint externa, videri possit,
poenitendi licentiam vero nequaquam excludat, nisi acceptio
promissori in eadem voluntate perseveranti declarata pacti per-
fectionem induxerit. Quæ supersunt ad illustrandam nostram
legem necessaria, sunt autem pene multa, prima nobis data
occasione, persequamur.



ULB Halle

3

008 558 760



Blom





8529

1771,8

DISSERTATIO I.
 DE SVCCESIONE PACTITIA
 AD
 DECISION. ELECTORAL. XIII.
 DE ANNO 1746.

QVAM
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
 CONSENSV
 PRAESIDE
 D. HENR. GODOFREDO BAVERO
 PANDECT. ANTECESS. P. O. RELL.

